DE

LVCANI CODICE ERLANGENSI

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

ARNOLDVS GENTHE

HAMBVRGENSIS



IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MDCCCXCIV.


HARVARD COLLEGE
JUN 12 1894
LIBRARY.

I

§ 1. Lucani editione, quae nuper prodiit, a Carolo Hosio curata[1]) tandem effectum est, quod per tot annos philologi exoptaverant. Nam quod Guilelmus Steinhart et Hermannus Genthe pater incohaverant Pharsaliam apparatu critico amplissimo ornaturi — uterque ne absolveret opus, praematura morte prohibitus est — ille ita perfecit, ut philologorum iudicio probari possit. Cuius apparatus criticus cum contineat omnes lectiones eorum codicum, — a Steinharto, Usenero, Hosio accurate collatorum — qui inprimis ad crisin Lucani adhibendi sunt, idoneam materiem dat Lucano operam navantibus, a qua profecti ipsi iudicium faciant et de auctoritate librorum manu scriptorum et de modo ac ratione, qua singuli codices inter se cohaereant. Neque tamen hanc quaestionem difficillimam — quomodo alter codex ex altero pendeat — diiudicari posse puto solis illis codicibus, quibus Hosius usus est, adhibitis. Immo vero circumspiciendum est, num in magno numero reliquorum codicum Lucaneorum exstent, qui illam quaestionem melius quam Hosii libri soli illustrent. Talem codicem esse Erlangensem, de quo hac dissertatione acturi sumus, existimo. Id igitur nobis proposuimus, ut eruamus, quid ex illo codice ad constituendum codicum stemma et ad restituenda poetae verba disci possit.

1) M. Annaei Lucani de Bello Civili libri X ed. Carolus Hosius, 1892.

§ 2. Sed priusquam rem ipsam aggrediamur, de auctoritate codicum ab Hosio adhibitorum quid censendum sit videamus, ut quaestioni nostrae certa fundamenta ponamus. —

Homo ille doctissimus codices in tres classes divisit: ad primam classem pertinent libri, qui redeunt ad exemplar Pauli Constantinopolitani, quem anno fere p. Chr. n. 674 vixisse ex codicis Parisini cuiusdam subscriptione Hermannus Usener probabiliter effecit [1]; sunt autem hi: 1) Montepessulanus (M) s. IX/X, qui subscriptionem habet: „Paulus Constantinopolitanus emendavi manu mea solus", 2) Bernensis (B) saec. X, quem aeque ac 3) Bernensem (C) saec. X, qui non textum carminis, sed scholia sola exhibet, artissimo vinculo cum M cohaerere patet, quamquam neuter illam Pauli subscriptionem praebet. — Alterius classis solus fere testis incorruptus est Vossianus I (V) saec. X, qui multos versus, quos illi omittunt, habet. — Tertiae classi attribuuntur codices, qui textum ex lectionibus utriusque classis confusum exhibent: primum in iis locum obtinet Vossianus II (U) saec. X, qui etsi eandem fere cum M subscriptionem habet, non ad ipsum Pauli librum redit, sed ad codicem, in quem utriusque classis lectiones irrepserunt. Praeterea ad tertiam classem pertinent Gemblacensis (G) saec. X, Cassellanus (K) saec. XII, ceteri, quos Hosius hic illic adhibuit. — Etiam antiquissimi codices, quorum fragmenta tantum ad nos pervenerunt, schedae rescriptae Vaticanae (P) saec. IV atque fragmenta Vindobonensia et Neapolitana (N) s. IV inter duas illas classes fluctuant.

§ 3 Ex his libris Vossianus I (V) maximam auctoritatem — praecipue Heinsio auctore [2]) — per haec saecula obtinuit, cum textum minus impeditum quam ceteri codices

---

1) Mus. Rhen. XXIII, pg. 497 sqq.
2) cf. praef. Luc. ed. Oudendorp.

praebeat. Primum vero eius auctoritas concussa est G. STEINHARTI commentatione: „de emendatione Lucani, Bonn. 1854", in qua comparatis V et Vossiano II (U) hunc verba poetae melius conservasse ostenditur. Qua in dissertatione quod paucis significaverat scriptor, Montepessulanum (M) imprimis ad textum Lucani restituendum summi esse momenti, id accuratius tractavit atque confirmavit libello, qui insertus est symbolae philologorum Bonnensium in honorem F. RITSCHELII collectae (Lipsiae 1864—67); ibi pronuntiavit ei, qui ad Lucani carmen recensendum aggrederetur, ab iis codicibus esse proficiscendum, qui sinceram Paulinae illius recensionis speciem servassent. —

Quam sententiam amplexus est HOSIUS in editione sua. Cur vero praecipue Pauli codices secutus esset et alteram classem ex parte tantum respexisset, multis argumentis allatis confirmavit commentatione, quam nuper publici iuris fecit in Fleckeiseni annalibus (anni 1893 pg. 337—353 „Zu den Handschriften des Lucan"): in Vossiano I verba rariora, quae primo obtutu non facile intellegerentur, sublata aliisque esse suppleta, quae minorem difficultatem praeberent, (velut Luc. III 347 sqq.; IV 399; VI 32, 109; VII 32; IX 762); cum autem abundantia quaedam orationis atque inconcinnitas sententiarum ex fervido poetae animo esset, mutationes illas revocandas esse ad interpretis cuiusdam operam, id quod aliis quoque lectionibus glossema resipientibus demonstraretur (II 292; III 66, 124, 598; IV 104, 407; V 375; VI 15, 178, 211, 292, 330, 354, 496, 504, 585; VII 58, 530; VIII 617, 818; X 106, 329); Vossianum I igitur ob id ipsum, quod exhiberet textum planiorem atque minus impeditum, non dignum esse, cui summa fides haberetur.[1])

---

1) HOSIUS in illa disputatione (Fleck. ann. l. c.) ut lectiones, quas in textum editionis recepit, defenderet, saepius Vergilii verba, quae Lucaneorum similitudinem quandam habent, contulit. Consentaneum est, illis locis tantum demonstrari, ea quae apud Lucanum

§ 4. Paulinos autem codices re vera praeferendos esse ceteris libris his ex rebus apparere Hosius ostendit: illorum codicum lectiones maiorem prae se ferre auctoritatis speciem non solum, quia magis se accommodarent ad Lucani genus dicendi, sed etiam, quia saepius Servii testimoniis confirmarentur. — Utrum bonae illae lectiones omnes ad operam ipsius Pauli Constantinopolitani redeant, an iam in codice, quo usus est, exstiterint, etsi vix diiudicari potest, tamen veri non est dissimile, plura eum codici suo debere quam ingenio: „nam maior inest codicibus Pauli fides, quam quae homini quamvis docto haberi possit.“ In perpoliendo igitur et corrigendo Lucani carmine ille non coniecturis indulsisse, sed ita rem egisse videtur, ut ex variis lectionibus, quas in codice eius exstitisse concludi potest (cf. pag. 8 sq.), eas,

---

exstant, a poeta Romano non abhorrere, neque autem Lucanum illis ipsis locis Vergilium imitatum esse; etiamsi non dubitandum est, quin Vergilii vestigia presserit. Quod exemplis allatis demonstravit Heitlandius, qui in Lucani editionis ab Haskinsio curatae praefatione (Lucani Pharsalia ed. Haskins, London 1889) singulari industria magnum numerum versuum Lucani et Vergilii comparavit, ut illum hunc imitatum esse probaret. Liceat mihi hoc loco monere, virum illum doctissimum in hunc incidisse errorem, ut etiam in verbis tritissimis congruentibus, quibus quilibet poeta uti poterat, atque in illis consentientibus locis, qui in instrumentis, ut ita dicam, cuiusvis poetae epici habendi sunt, nonnunquam imitationem statueret (velut his locis: I 307; IV 431—32; VII 438, 481, 777—80, ubi nulla imitationis vestigia inveniri possunt.). Multa igitur, quae ille congessit, sunt aut tollenda aut emendanda, multa denique ad indicem, qualem ille confecit, addenda, ut clare perspicere possimus, quomodo Vergilium imitatus sit Lucanus. Talem vero de imitatione quaestionem instituere quamquam nihil valet ad rectam poetae lectionem restituendam — nunquam enim hic illum exscripsit (praeterea monendum est fieri potuisse, ut librarius quidam doctus Vergiliana hic illic Lucaneis verbis insereret) — tamen multum prodesse potest, cum recte de arte epica Lucani iudicare non possimus, nisi accurate examinaverimus, quid ab aliis mutuatus sit, quid clari exempli auctoritate neglecta ipse finxerit. Opus igitur ab Heitlandio incohatum ad finem perducere haud inutile erit. —

quas ipsius poetae esse putavit, textui insereret, deletis, quae hominum inscitia et neglegentia perverse irrepserant. — Qua in re eum sano iudicio usum esse vel ex transpositione versuum VII 487 sqq. (cf. Hosius, ed Luc. praef. pg. XX sqq.), quam ad Paulum redire satis certum est, apparet. Optimum est scientiae documentum illa transpositio, quae multo meliorem ordinem efficiat versuum, quam vulgatus ordo, id quod Hosius summa sagacitate exposuit (cf. l. c.).

§ 5. Contra homo doctissimus Batavus C. M. Francken Paulinam recensionem non tantum valere quantum Steinhartius et Hosius voluerunt existimavit. Dicit enim (Mnemosynes XVIII (1890) pg. 21, 22) magnam auctoritatem ad textus constitutionem Paulo non esse adscribendam, quippe qui sit obscurus homo et nobis ignotus (nisi forte Useneri coniectura recta sit), neque esse quicquam, cur meliorem contextum continere censenda sit eius 'recensio', quod aliquot versus aut sine iudicio reiecerit aut non noverit. In eadem perstitit sententia, cum iudicium censuramque faceret de Hosii editione (Berliner philologische Wochenschrift 1893, No. 10). —

Etsi concedo de versibus omissis sententias discrepare posse [1]), tamen hac re auctoritas Paulinae recensionis non elevatur. Ne unum quidem Franckenius probabile argumentum protulit, quo suam sententiam defenderet easque res, quibus praestantia Paulinorum codicum certe demonstratur — ut supra exposui — refutaret.

Ideo iure Steinhartio, quem Hosius sequitur, adstipulabimur, qui quamquam multa falsa apud Paulum exstitisse non negat, tamen merito censet, si quis propterea

---

1) Fortasse de nonnullis versuum omissorum semper tam ambiguum erit iudicium, quam Franckenii de Luc. IX 494: „sed non contenderim fieri non posse, ut ipse poeta scripserit et deleverit postea" (Mnemos. l. c. pg. 17).

fundamenta quodam modo saltem certa, quae Paulus iecerit, derelinquenda esse putet, verendum esse, ut unqam ad certam emendationis normam possit perveniri.

§ 6. Maximi igitur momenti est ex iis codicibus, quos constat ad Paulinam familiam pertinere, quid fuerit in Pauli exemplari, accurate definire. Ad quod Montpessulanum (M) proxime accedere inde verisimile fit, quod conscriptus est a librario, qui linguae latinae minime peritus interpolationibus non indulsit; quare eas M libri lectiones, quae non calami errores habendae sunt, iam in Montepessulani fonte exstitisse concludere possumus. Praeterea ad exemplar Pauli restituendum praeter Vossianum II, qui — quamvis magna sit praestantia — ad illustrandam Paulinam recensionem non tantum valet, duo illi codices Bernenses adhibendi sunt, quorum alterum (B) fratrem gemellum fere Montepessulani esse Hosius dixit. — Etsi vir doctissimus hac in re erravit — id quod infra argumentis comprobabimus — quod M B C ex ipso Pauli libro exscriptos esse censuit (cf. ed. Luc. praef. pg. XIV adnot. 3), tamen illud suo iure contendit, hos codices ad unum eundemque archetypum, h. e. illam Pauli membranam, redire; qua re lectiones, quas communes habent, iam in illo communi fonte exstitisse verisimile est.

§ 7. Una quidem restat difficultas, qua fortasse quispiam inducatur, ut putet, M B C re vera non ex eodem archetypo originem duxisse: magnus numerus inter se discrepantium lectionum, qui in illis codicibus invenitur. Hoc autem sic explicandum est: Paulum in suo libro multas varias lectiones adscriptas invenisse probabile est; ante enim Hieronymi tempora commentatores Lucanum explicando variarumque lectionum auctoritatem ponderando operam dedisse ex loco quodam Hieronymi cognoscimus (Hier. apol. c. Rufin., II 472, ed Vallars. 1767), quem ad illustrandam rem exscribo: „Num diversae interpretationis et contrario-

rum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere, quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum? Puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius et in Terenti comoedias praeceptoris mei Donati aeque in Vergilium, et aliorum in alios: Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum. Argue interpretes eorum, quare non unam explanationem secuti sint et in eadem re quid vel sibi vel aliis videatur, enumerent." —

Quorum in Lucanum commentatorum vestigia habemus nonnulla in scholiis Lucani (praecipue in 'Commentis Bernensilus' quae USENERUS edidit). In illorum numero fuisse Cornutum, qui in C I 214; III 375, 381, et Porphyrionem, qui I 214 nominatur, verisimile est; praeterea ad illos viros referenda esse, quae saepius in C invenimus: „*alii sic*", „*sunt qui sic legant*", „*legitur et*", si conicimus, nos a vero non abhorrere putamus. (cf. H. GENTHE, Herm. VI, p. 221).

Quae cum ita sint, Paulum in suo codice multas varias lectiones iam invenisse concludi potest. Librariorum vero eorum codicum, qui ex Pauli exemplari originem duxerunt, alius hanc, alius illam lectionem in suum textum recepit, prout cuique libebat. Praeterea glossemata, cum librario cuidam hic illic vera poetae verba esse viderentur, in ipsum librorum derivatorum textum fortasse saepius irrepserunt, germanis verbis submotis.

Quibus expositis nihil obstare puto, ne illos codices, quos HOSIUS ex ipso Pauli exemplari fluxisse censet, certe ad eundem fontem redire statuamus: plurimis locis eadem verba tradunt; ubi discrepant, aut sunt calami errores, aut, si graviores sunt discrepantiae, ita res est explicanda, ut modo ostendimus.

§ 8. FRANCKENIUS autem (cf. Berliner phil. Wochenschrift l. c.) illis discrepantiis effici putat, ut M et V et U ex eodem archetypo ducti sint atque parem auctoritatem habeant; Paulum exemplar quoddam illius codicum classis, cui M

attribuendus sit, secundum suum arbitrium emendasse; (quomodo ceteri codices cum M V U cohaereant, ne verbo quidem significat). Quam improbabilem opinionem nullis argumentis confirmavit neque — quod iam supra dixi — ullo modo quae Hosius de origine Lucani codicum statuit, argumentis labefecit. Etsi igitur supersedemus, illam opinionem, quae nihil est nisi mera coniectura, uberius refutare, tamen ratio habenda erat sententiae, quam homo ille doctissimus protulit. —

Maioris momenti est, quod Carolus Wotkius exposuit in fasc. IV. a. 1893 commentariorum, qui inscribuntur „Zeitschrift für oesterreichische Gymnasien“: etiamsi non dubitandum sit, quin codices, quos Hosius Paulinae familiae addixerit, ab una eademque origine profecti sint, tamen, cum in tot similibus locis etiam tot discrepantiae exstent, suboriri suspicionem, M B C non esse apographa Paulini codicis, sed ex aliis codicibus, qui quidem ad Pauli illum librum referendi sint, originem duxisse[1]; quam opinionem confirmari praecipue magno lectionum numero, quas B solus ceteris codicibus repugnantihus habeat. — Quomodo variae illae discrepantiae codicum Paulinorum ortae sint, supra explicavimus. In hac una vero re homini doctissimo assentimur, tantum illum numerum singularium codicis B lectionum repugnare Hosii sententiae. Quam recte Wotkius de B libri origine iudicaverit, in commentatione nostra satis firmis argumentis probabimus. Nam codice illo Erlangensi adhibito accurate perspicere possumus, quomodo B cum Pauli exemplari cohaereat.

---

1) Haec sunt Wotkii verba: „Da M B C so sehr auseinandergehen, dass nicht einmal ein gemeinsames Zeichen für sie in den Apparat hat eingeführt werden können . . ., so liegt doch die Annahme näher, dass die 3 Handschriften nur durch Mittelglieder mit dem Archetypus verbunden sind“.

Vix quisquam speraverit, inter illos Lucani codices, quibus Hosius non usus est, ullum neglectum iacere, qui artissima cognatione cum Paulina familia coniunctus sit, cum ex iis codicibus, qui Pauli subscriptionem ferunt [1]), tantum M et U aliquid ad Paulinam recensionem restituendam valeant — nam Colbertino 160 et Cassellano Ms. Poet. fol. 5 codicibus non iam recensionis Paulinae sinceram speciem contineri Hosius affirmat (ed. Luc. praef. pg. VI. sq.) — et ex magno numero ceterorum codicum, quos ille excussos habuit, soli B et C. — Nostrum autem Erlangensem re vera arto vinculo cum Pauli exemplari cohaerere iam sumus expositturi.

II

§. 9. Est ille codex saec. X bibliothecae academicae Erlangensis [2]). Cuius libri collationem a patre relictam (ad editionem Oudendorpianam — nescio a quo — factam) in bibliotheca Hamburgensi publica nunc asservatam cum inspexissem, et cum lectionibus, quas Hosii apparatus criticus exhibet, contulissem, arta cognatione illum Erlangensem codicem cum Paulinis cohaerere suspicio mihi venit. Quo accuratius rem investigarem, codicem ipsum benevolentia praefecti bibliothecae Erlangensis academicae Jenam transmissum excussi. Et quod collationem illam mancam

1) Hosio non innotuit, Erlangensem Lucani codicem No. 856 saec. XV eandem illam Pauli subscriptionem in fine habere: „M. Annei Lucani lib. X. civilis belli explicit. Legenti vita et praefectura. Scriptori vita et fortuna. Paulus Constantinopolitanus emendavi manu mea solus.“ (cf. Irmischer, Handschriftenkatalog der Erlanger Universitäts-Bibliothek, 1852, pg. 324).

2) Quem librum excutiendum Hosius fortasse ea de causa non curavit, quod Weberi verbis fidem habuit, qui de hoc codice in indice, quo breviter Lucani codices describit, haec dicit (Luc. ed. Weber. vol. III, 1831, pg. XLVI): „. . . . neque tamen multum frugis ex eo comparari possit.“

(est enim neglegentius confecta minimeque plena) secutus magis coniciendo quam argumentando inveneram, id codice ipso inspecto omni ex parte verum esse cognovi. — Priusquam autem exponamus quid ex eo lucrari possimus, necesse est, externam libri speciem accuratius describere.

§ 10. Codex Erlangensis[1]) insignitus numero 304 (olim Heilsbronnensis 199[2])) scriptus saec. X continet Suetoni vitam Lucani inde a verbis „ut Caesaris caput proxime cuique iactaret" (Hosius ed. Luc. pg. 333, v. 9), epitaphium Lucani, carmen de bello civili cum scholiis, argumenta singulorum librorum (argumentum ad lib. II. deest) pedestri oratione scripta.

Constat foliis membranaceis CXLVII (XVII quaterniones numerantur) lutei coloris diversaeque crassitudinis, eoque modo scriptus est, ut duodetriceni versus in singulis paginis exstent (nonnullae paginae habent 29 vv). — In inferiore parte folii 1^b a manu recentiore scriptum exstat: „Laurenti David". — Tres in fine schedas (continent Luc. X 376 usque ad finem), quae interciderant — ultimae quaternionis 6 tantum schedae exstant — anno 1468 ab Johanne Sailero quodam suppletas esse docet subscriptio: „Marci annei Lucani lib. X. finit complet. fratre iohanne Sailer. anno 1468 mens. ianuar." —

Mensura singularum schedarum est $26{,}5^{cm}$ in altitudine, $18{,}4^{cm}$ in latitudine; cum autem schedae circumcisae sint, utile erit commemorare, spatium inter primam et ultimam lineam esse $21—22^{cm}$, ipsas lineas[3]), in quibus textus scriptus est, esse $11{,}1^{cm}$ longas. — Quaterniones numeris notati sunt. Atramentum modo fusco, modo silaceo colore est; initiales cuiusque versus, tituli subscriptionesque singulorum librorum maiusculis litteris, modo uncialibus,

1) littera E eum notabo.
2) cf. Hocker, Bibliotheca Heilsbr., Nürnberg 1731, pg. 97.
3) lineae stilo membranae impressae sunt.

modo capitalibus, minio exaratae sunt. Principes singulorum librorum et argumentorum litterae altiores itidem minio — semel tantum viridi colore — pictae sunt, et parum quidem artificiose. Textus pulchre scriptus est litteris minusculis, quae rotundam saeculi decimi formam habent. Scriptura admodum paucis compendiis impedita est; saepe adhibentur usitata illa compendia pro ‚et‘ (nonnunquam in ipso verbo, velut: „v&us“, „la&a“), „per“, „pro“, „est“ „vel“, „que“, alia eiusdem generis. (cf. append.)

§ 11. Neque tamen ab una manu scriptus est codex, sed duae manus — eiusdem autem aetatis — discernuntur. Quaterniones XIII et XIV (lib. VIII, 134 — IX, 146) ab alio librario scriptas esse praecipue ex his rebus cognoscitur: litterarum ductus magis proclinatus est (litterae alius manus directae stant), compendium pro „et“, quod in ceteris codicis partibus semper duobus ductibus factum est, in utroque illo quaternione quattuor ductibus conficitur; littera ‚n‘ in fine verborum saepissime in longitudinem extenuata est, id quod in ceteris quaternionibus nusquam occurrit; praeterea in ultima scheda quaternionis XII (fol. 103[b]) 6 lineae vacuae exstant, quamquam fieri non potest, ut inter v. VIII 133, quo XII. quaternio terminatur, et inter v. VIII 134, quo XIII. quaternio incohatur, aliquid exciderit. Immo sic res est explicanda: eodem exemplari uterque librarius usus est, ita quidem, ut archetypi in quaterniones secti I.—XII., XV.—XVII. quaterniones alteri (1[a]), XIII.—XIV. quaterniones alteri (1[b]) ad describendum darentur, quo celerius opus perficeretur. — Cum in ea parte, quam librarius 1[b] confecit, aeque atque in iis partibus, quas librarius 1[a] scripsit, 28 versus in quaque pagina exstent, verisimile est, archetypum quoque hoc modo exaratum fuisse. Quod ne statuamus, illae VI vacuae lineae in fol. 103[b] non obstant. Nam etiamsi ex nostra sententia v. VIII 133 in ultima linea fol. 103[b] scriptus esse oporteret, in ipso archetypo illum

versum in ultima XIII. quaternionis linea exstitisse probabile est: 6 enim versus, qui in archetypo certe in textu exstiterunt, Erlangensis librarius neglegentia omissos ipse in margine adscripsit (II 442; VI 3, 313; VII 342; VIII 101, 102), quibus in textu omissis 6 illae vacuae lineae effectae sunt[1]).

Pari diligentia uterque librarius munere suo functus est eademque ratione; tantum in orthographicis quibusdam proprietatibus, quae parvi momenti sunt, inter se discrepant.

§ 12. Neque solum versus quos omisit ipse supplevit librarius (m_1), sed etiam verba, quae neglegentia praeterierat, supra adscripsit, velut: III 402 : *n̄*, VII 34 : *sibi*, VIII 526 : *mollia*, IX 261 : *iugum*, 808 : *se* ; versibus verbisque, quae turbato ordine scripserat, transpositionis signis additis suum cuique locum dedit; litteras, in quibus erraverat, expungendo vel mutando correxit, quod nonnunquam in ipso scribendo, velut: I 207 *Subsedit* (*s* ex *c*), 473 *tauriferis* (*i alt.* ex *a*), II 36 *parens* (*e* ex *a*), 204 *labant* (*a alt.* ex *u*), 264 *belli* (*i* ex *a*), alibi; saepius postea fecisse videtur, velut: I 171 *populis* (*u* suprascr.), 417 *quas* (*o* ss.), 633 *pectore* (*e alt.* in *a* corr.); II 117 *Hic* in *Sic* corr., 704 *quos* (*as* ss.); III 292 *dedit* (*t* postea add.); V 89 *mundique* (*i* ex *o*), IX 219 *tarcondimotus* (*di* del.) aliisque locis, unde concludi potest, librarium opere perfecto ea, quae conscripserat, iterum per-

---

1) Archetypum eodem modo exaratum fuisse atque Erlangensem librum, qui ex eo exscriptus est, etiam hac re confirmatur: primus versus fol. 27[a] exstat: „(N)ec tanta incassum victus eat inger& omnis", qui est versus II 263, qui scriptus est primus in fol. 19[a] a m_2, cum illo loco (fol. 27[a]) versus II 713 exstet necesse sit. Illum versum (II 263) librarius statim delevit (nam littera initialis N non addita est). Apparet igitur, librarium pro illa scheda archetypi, quae continebat vv. II 713 sqq., per errorem illam ad exscribendum sibi sumpsisse schedam, in qua exstabant vv. II 263—291, statim autem errore animadverso ad eos versus exscribendos aggressum esse, qui vere sequebantur. —

currisse cumque archetypo contulisse. Verba quoque, quae errore discerpserat, coniunctione addita copulavit: II 477 *romanis‿anguinis,* VIII 248 *Soler‿hodon,* 407 *Oedipod‿ionias,* IX 329 *arma‿mentis,* alia; quae socordia in unum quasi verbum contraxerat, separationis signo addito disiunxit: I 221 *mollitum* (= *molli tum*), IV 793 *Affricanos* (= *Africa nos*), multis aliis locis, ubi et coniunctionem addidit: III 332 *caesa‿rebellum* (= *Caesare bellum*), IX 293: *patientiam‿artis* (= *patientia Martis*). —

Permulta talis falsae verborum distinctionis exempla in codice exstant: quae separari non possunt, discissa sunt, quaeque separari debent, in unum quasi verbum contracta sunt: II 143 *quam orbi* (= *qua morbi*), III 294 *aridam auris* (= *arida Mauris*), IV 183 *Quidve sane* (= *Quid vaesane*), V 433 *puppesq.* (= *puppes quae*), VI 642 *aditis* (= *a Ditis*), VIII 768 *Sidet* (= *Si det*), IX 320 *Classi sonus* (= *Classis onus*). Quae exempla docent codicem, ad quem E redit, continua scriptura exaratum fuisse. Eum ipsum autem librum, ex quo E exscriptus est, ita fuisse scriptum illis exemplis non demonstratur.

Saepissime librarius confundit *e* et *ae*: *sepae* (= *saepe*), *glaciae* (= *glacie*), *laeto* (= *leto*), *laevate* (= *levatae*), *leve* (= *Laeve*); *i, u, y*: *silla, sylla* (= *Sulla*), *hyemps* (= *hiemps*); sexcenties *i* et *e* in fine verborum, praeterea *c* et *g*, *t* et *d* communtantur, aliarumque litterarum similesque confusiones occurrunt, quas enumerare supersedeo. Si quis accuratius noscere velit, quam rationem librarius secutus sit in re orthographica, hoc satis perspicere potest ex iis lectionibus, quas ex lib. X 194—331 in appendice afferam. Illum locum delegi, quo facilius Erlangensis scriptura cum ceteris codicibus comparari possit; ad illos enim versus recensendos Dielsius complurium codicum lectiones plene attulit in Act. acad. litt. Berol. 1885.

§ 13. Necesse est, ut pauca addam de librario, qui tres in fine schedas anno 1468 supplevit. Etsi constare videtur, cum nihil de suo addidisse[1]), nisi quod hic illic suae aetatis orthographiam secutus est (X 388 *pompey,* 412 *Dys,* 531 *Suspicys* etc.), tamen ex eius apographo accurate cognoscere non possumus, quid in codice exstiterit; neque enim varias lectiones, quas in codice additas fuisse verisimile est, neque quae singulae manus correxerant, adnotavit: una lectione exscripta contentus erat, quae utrum a manu prima in codice fuerit scripta an ab alia manu diiudicare nequimus. — Librarium re vera versus, quos supplevit, ex Erlangensi codice exscripsisse, neque alio libro usum esse, ea de causa probabile est, quod lectiones, quas exhibet, eandem cum ceteris codicibus cognationem habent ac lectiones in vetusta parte, id quod postea videbimus.

§ 14. Sequitur, ut de correctoribus, qui textui expoliendo operam dederunt, nonnulla dicam. Quae prima manus in conferendo iterum suum quem perfecerat librum cum archetypo non emendaverat variae, manus saec. X (m_2)[2]) hic illic suppleverunt et correxerunt eodem archetypo usae (cf. I 320: *vel minantes,* II 17 *orbem* in *urbem,* 42, *vel lacessit,* III 129 hunc versum, qui deesse non potest et qui certe in archetypo exstitit, a m_1 omissum adscripsit m_2 (cf. et II 263, X 332), 328 *vel non,* 503 *Et* in *Nec* corr. m_2, 632 *discedunt* ex *descendunt,* VI 100 *vel cadentū* etc.) Iterum percensuit totum librum — vel archetypo eodem adhibito vel codice, qui propinqua cognatione cum illo cohaesit — manus

1) Eodem modo atque in vetusta parte codicis occurrunt verba falso coniuncta (X 380 *epulvere,* 434 acasia) vel per errorem dirempta (377 *Imposuit* q., 529 *in ultus).*

2) Una quaque manu singillatim notata ne perplexa fierent, quae ex codicis lectionibus afferam, singulas manus eiusdum (ante XII.) saeculi et manus posteriorum saeculorum una communi significatione comprehendi: m_2 = manus saec. X., m_3 = manus saec. XI., m_4 = manus saec. XII., XIII. etc.

saec. XI (m_3): cf. I 656 *Hunc* in *Nunc* corr., II 108 *potuere* (*o* ex *a*), 272 *minimas* (*s* add.), 316 *tuentem* ex *timentem*, 354 *limite* (*t* exp. *n* ss.), 645 *fastos* (*s* alt. add.), III 227 *resonans* (*s* alt in *t* corr.), 469 *Ad* in *At* corr., 532 *rates* suprascr., 620 *tenens* in *tegens* corr., IV 158 *Calle* in *Valle* corr., 349 *vel nos* suprascr., 351 *potuit* ex *posuit*, ut alia mittam. — Alias autem manus emendatrices (saec. XII, XIII ect.) codex expertus est, quae saepius quod m_1, m_2, m_3 recte scripserant, eiecerunt, aut varias lectiones suprascripserunt, quibus satis demonstatur, illas manus neque archetypo illo neque simili codice usas esse, sed alio nescio quo libro, (saepius ex ingenio „emendasse“ videntur): cf. II 273 *summa* suprascr., 292 *vel Compressas* i. marg., III 484 *vel incensa* i. marg., 533 *vel recidunt* i. marg., IV 747 *vel ut* ss., V 328 *sequentur* ex *sequuntur*, VI 330 *convertit* suprascr., VIII 857 *vel iuvabit* i. marg. — Pluribus locis scripturam codicis decursu annorum iam evanescentem repinxerunt, saepe obscurantes, quae pristina manus scripserat, velut IV 199 *fori* (*foci* m_1 habuisse videtur), 317 *Distingunt* (fuit *Distringunt*), 423 *Non* (fuit *Nec*), 558 *feriūtq* (sed fuerat *sternuntq.*), 568 *despectam* (sed *despectant* habuit m_1), multisque aliis locis similiter res se habet.

Interpunctonis signa haud raro m_1 omisit, m_3 addidit. Saepissime autem punctis disiuncta sunt verba, quae distinguendi nota separari minime licet.

Varias lectiones omnes fere manus adscripserunt, quarum eas, quas m_1 addidit, iam in archetypo exstitisse certe ex hac re concludi potest, quod hic illic m_1 in ipso scribendo varias lectiones addidit. Cuius rei egregium exemplum est VI 101 (fol. 72^b), ubi exstat: . . . *iacent vel manent incondita uiuis,* varia illa lectione ipsi versui inserta.

§ 15. Glossematibus inter lineas scriptis, scholiis marginibus adiectis codex abundat, ita quidem, ut illas plerumqne m_1 (in quaternionibus XIII et XIV, quas m^{1b} exaravit, additae sunt a m_2), plurima scholia m_2 scripserit, neque

vero nihil contulit m_1 et m_3. — Scriptura scholiorum, quae exterioribus marginibus adiecta sunt, nonnullis locis foliis saepe evulsis tantopere detrita est, ut quid scriptum fuerit, oculi vix possint consequi. — (Scholia saepe cum scholiis a WEBERO editis, saepius cum commentis Bernensibus, quae USENERUS publici iuris fecit, consentiunt, plerumque autem nova perhibent. Neque igitur parvum incrementum historiae scholiorum Lucaneorum illustrandae ex iis lucrari nos posse persuasum habeo. De quibus copiosius disserendi aliam spero fore occasionem.). —

III

§ 16. Quo ex fonte vero Erlangensis codex fluxerit quaerentibus nobis initium inde capiendum est, ut anquiramus, utrum versus, quos in Pauli exemplari non fuisse verisimile est, omiserit an servaverit, cum constet a Paulinis codicibus complures versus omitti, quae in altera quidem classe leguntur. — Quomodo eruendum sit, quid in Pauli libro fuerit, iam supra significavimus: quae M B C U, M B C, M B U, M B communia habent, iam in Pauli libro exstitisse videntur. — Complures versus in E incuria librarii omissos et postea additos esse supra in describendo codice commemoravi. Praeterea nonnullos versus, qui deesse non possunt, a prima manu omissos adscripsit manus secunda: II 263, 639; III 129, 246; X 332 [1]). Versus, qui neque inveniuntur in Erlangensi neque ab

1) Cum statuerimus, librarium primum opere perfecto iterum percensuisse, quae scripserat, et cum archetypo contulisse, explicandum est, quomodo factum sit, ut illos versus, qui certe in archetypo exstiterunt, non suppleverit. Quos librarium I eam ob causam non

ullo postea correctore additi sunt, praeter hos sunt nulli: I 436—40 *Pictones — dissolvitur alis,* IV 251 *Et — parentum,* V 795/96 *neuterque — vale,* VIII 124 *Accipe — habeto,* quorum I 436—40, IV 251, VIII 124, cum ab omnibus fere codicibus omissi sint — nihil valent ad cognoscendam auctoritatem codicis E. — Versum V 795/96 omiserunt M B U, qua ex re concludi potest, eum in Pauli libri non fuisse scriptum.

Iam videamus de ceteris versibus in E omissis quid sit statuendum. Praeter illum E cum M B (U) omisit hosce versus: VI 188 *Perdidit — membra* (add. m_4); VII 103 *Si modo — calore* (add. m_2); VII 200 *Solis — notavit* (add. m_2); IX 615 *Morsu — minatur* (add. m_4). Quorum de auctoritate iudicare hoc loco nolo; res tam incerta ne semper iniudicata relinquenda sit timeo[1]); (cf. A. KINDLER 'de Lucani versibus, qui in codd. Montepessulano et Vossiano II desunt' Münster 1882; C. M. FRANCKEN, Mnem. vol. 18 (1890); C. HOSIUS, Fleckeis. ann. 1893 pg. 353), neque ad id quod agimus multum interest. Hoc quidem statuisse satis sit: illos versus, quos in Pauli exemplari aut non exstitisse aut ab eo

---

vidisse puto, quod non in ipso textu libri, ex quo E fluxit, sed in margine exstabant. Facile enim fieri potuit, ut is, qui librum, ex quo Erlangensis exscriptus est, confecit, complures versus, quos neglegentia praeterierat, in margine adscripserit, suo libro cum archetypo iterum collato.

1) Qua in quaestione iudicanda respiciendum nobis est, Lucanum libros V—X, in quibus imprimis inveniuntur versus, quos altera codicum classis omisit, altera praebet, non ipsum edidisse, sed imperfectum carmen suum reliquisse. Probabile igitur est, illos versus ex parte quidem tales esse, qui in poetae autographo deleti delendive exstabant; nam fieri potuit, ut parum perpolitos versus deleverit, quia meliora inter laborem sucurrerent, aut prius scripta cum postea elaboratis non congruerent. Hanc originem esse multorum versuum, de quorum fide ambigitur, cum FRANCKENIO puto. Nego autem unquam posse secerni — id quod OUDENDORPIUS temptavit — ex numero illorum versuum eos, quos poeta ipse adscripserat ut ederentur, ab iis, quos deleri voluit.

deletos esse verisimile est, ab Erlangensi quoque codice omitti. —

§ 17. Quibus versibus subiungendi sunt ii, qui a Paulo deleti in E turbato ordine leguntur: a) III 167/168: *Egeritur — Roma* om. M U; in E is est ordo versuum: 165, 167, 168, 166, transpositionis signis a m_2 additis (E = B); b) IV 171: *Hic — patresque* om. M B; in E v. 171 post v. 177 exstat (E = B) c) V 53: *Massiliaeque — Phocis*, om. M N; in E vv. 53 et 54 inverso ordine leguntur (E = B) [1]); d) IX 83: *Linquere — nolo*, om. M B G, legitur post v. 79 in U (E = U); e) IX 485—87: *Qui — haerens*, om. M; vv. 485—90 alio ordine in E scriptos fuisse (cf. append.) constat, etsi quomodo se exceperint difficillimum erit diiudicatu [2]). Inde vero, quod E compluribus locis, ubi Paulinae familiae codices versus omiserunt, turbato ordine illos versus servavit, videtur apparere E fortasse ad eundem atque illos codices fontem redire: in communi archetypo illi versus delendi signis notati erant, quae a librario eius codicis, ex quo E exscriptus est, perperam intellecta turbatum versuum ordinem effecerunt. —

§ 18. Erlangensem codicem re vera ratione quadam cum Paulinis codicibus cohaerere, firmioribus argumentis confirmari potest. — Ac primum quidem eos locos, in quibus Erlangensis cum Paulinis libris facit, afferam, ita quidem, ut eas tantum lectiones ponam, quas ad Pauli exemplar redire probabilissimum est, omissis

---

1) Steinhartius affirmat (Symb. Phil. Bonn l. c.) versus 53 et 54, qui nunc diversis manibus in rasura scripti apparerent in M, antea inverso ordine in Montepossulano exstitisse certis vertigiis posse cognosci. De qua Steinhartii sententia cum Hosius nihil dicat, nescio utrum ille erraverit, an hic quid in M exstet non recte viderit.

2) Praeter hos, quos attuli, duos versus omisit: IV 78 (add. m_4), quem M V B non exhibent; VII 257/8 (add. m_4) quos omnes codices G excepto omiserunt; X 296 (add. m_2), quem B G non habent. —

lectionibus levioribus ab altera classe discrepantibus[1]: I 31, 50, 89, 101, 158, 247, 254, 350, 359, 360, 388, 389, 408 (cf. app.), 422, 424, 435 *canas,* 462, 475, 505, 531, 579, 588 *volitantis,* 599, 608, 614, 633 (cf. app.), 648 (cf. app.), 675, 681. — II 54 (cf. app.). 69, 85, 97 *usus,* 101, 121, 126 (cf. app.), 133, 156, 198, 211 (cf. app.), 218, 222, 264 *nollet,* 292, 296, 310 (cf. app.), (312), 344, 345 (cf. app.), 346, 360 (cf. app.), (361, cf. app.), 383, 394, 403, 481, 519, 522, 525 (cf. app.), 535, 537, 570 *quos fudit,* 609 *concessit,* 614 *sulcum,* 624, 625, 631 *Tunc,* 653, 654, 690 *perducat.* — III 23, 50, 56, 66, 70 *lybiae,* 84, 96 (cf. app.), 124, 140, 177, 178, 197, 235 (bis), 246, (251), 258, 270 (cf. app.), 284, 287, 325, (347), 348, 362 *robòre,* 379, 389, 422, 437, 475, 479 (cf. app.), 484, 524, 533, 542, 547, 550, 554 *hoc,* 563, 573, 575, 598, 609, 613, 648 *incumbit,* 672, 694, 702, 738 (cf. app.), 748. — IV 30, 40, 61, 85, 87, 102, 104, 118 (bis), 131, 147, 169, 171 (deest), 186 *bellum,* 187, 196, 222, 283, 290, 299, 317, 318 *tenera — medulla,* 329 *siti,* 362, 370, 382, 385, 399, 407, 473, 484, 489, 490 *Involvent,* 563, 573, 600, 613 *perfundit,* 616, 632, 652, 675, 699, 703, 771, 776. — V 55, 61 *accipit,* 78, 96, 107, 110, 142, 162, 175 *stimulos,* 189, 197 *que* om., 210 *locutae,* 218, 284, 301 *demittere,* 329, 338, 375, 398, 420, 456, *dies,* 461, 500, 517, 569 *euros,* 576, 616, 680, 681, 696, 733, 740 *sed,* 749, 750, 758, 761 (cf. app.), 772 *etiamnum,* 785, 794, 795 *neuterque — vale* deest, 805, 808. — VI 6, 15, 24, 27, 29 *Hic,* 32, 62 *Illic,* 94 (cf. app.), 109, 112 (cf. app.), 123, 154, 161, 164, 166, 178, 190, 211, 219, 263 *ac,* 291 *emisit,* 292, (294), (330), 354, 384, 410, 432, 444, 451, 481, 496, 500, 504, 508, 534, 535, 559, 568 (cf. app.), (574), 617 *At,* 602, 622 *ne,* 683, (710), 730 *securaque megaera,* 732, 739, 741, 757 *semel,* 759, 769, 775, 781 (bis),

---

1) Numerum versuum tantum adscripsi, ubi apparatu Hosii editionis critico collato dubium non esse poterat, quam lectionem E cum Paulinis codicibus communem haberet.

797 *Aeternis* 811. — VII 28, 58, 59, 77, 80 *campolll,* 126, 145, 156 *pythonas,* 160, 179, 217, 218, 244, 246, 262 *gladiosque — culpa,* 330, 358, 359, 387 *Haelll,* 396, 414, 415 *possent,* 451 *Cassius,* 452, 488 sqq. (cf. app. et praef. Hos. ed. pg. XX.), 516, 489 Et, 495, 560, 567, 594, 598, 605, 622, 623, 648, 690 *perstat,* 693, 702, 707, 746, 756, 791, 828, 843, 870. — VIII 18, 35 *ac,* 40, 49, 51, 54, 59 *animum clusit,* 66, (76), 95, 109, 134, 143 *est,* 154, 179, 187, 191, 237, (240 cf. app.), 243, 247, 248, (255 cf. app.), 287, 295, 314 *feci sat,* 366, 382, 384, 385, 387, 397, 405 *matres,* 413, 439, 450, 470, 499, 505, 515, 582, 586, 615, 617, 626, 642 (cf. app.), 653 *fui digña,* 660, 665. 720, 734, 746, 767, 768, 777, 789, 802, 803, 812, 818, 821, 824, 831, 857, 860 *es.* — IX 28, 40 (bis), 44, 54, 70, 73, 81, 122, 213, 219, 254, 288, 349, 355, 424, 428, 430, 446, 451, 469, 514, 533, 541, 572, 575, 580; 588, 627, 668, 678 *hamati,* 736, 748 *ne,* 753, 762, 765, 777, 795 (bis), (821 *satei*), 832, 919 *thapsos,* 949, 1032, 1083 *nec,* 1100. — X 11, 14 (cf. app.), 46, 106, 122 (cf. app.), 123 *fuco,* 135, 142, 175, 179, 180, 211, 212, 236, 238, 238, 242, 249, 262 (bis), 290, (292 cf. app.), 314, 329 *receptis,* 361, 383 *populorum et,* 384, 398, 413, 437, 446, 488, 490, 502, 507, 512, 517, 532, 536, 541, 544. — Multis igitur locis Erlangensem librum eam servasse lectionem — his optimam, his corruptam — videmus, quam in Pauli exemplari exstitisse ex consensu codicum Paulinorum concludi potest.

§ 19. Neque vero hae, quas modo attuli, lectiones solae ostendunt, quantam cognationem Erlangensis habeat cum Paulinis codicibus. Saepe enim E cum M vel B vel U uno optimam lectionem tradit, quae ad Pauli operam referenda videtur.

E cum M solo genuinam lectionem habet his locis: III 564 *percussae* (*percussa et* V U B, *percussaque* G), 659 *recedunt* (*reducunt* ceteri codices), V 328 *sequuntur*

(*sequentur* ceteri codices), VII 262 *gladiosque* (om. B, *gladiisque* V U, *gladioque* G C), 555 *Ah* (*A* U, *Ac* V B, *Hac* G), 696 *erunt* in *erit* corr. ipse librarius, ut videtur, in E, (*erunt* V U G B C), 801 *hoste* (*hostes* V U G B [C?]).

E cum B solo optimam lectionem tradit hisce locis: I 320 *micantes* (ceteri codices *minantes*), II 426 *Culta* (*Tecta* ceteri codices), IV 186 *det* (*dat* M U, *dant* V, *dent* G) 372 *poscit* (i. ras. U, *c(o)epit* M V G C), 746 *Tunc* (*Tum* in ras. M, *Ut* V U, *Cum* G) V 665 *Nec sciet* (*Nesciet* O C), VI 55 *adiungere* (*aut iungere* O), 294 *nothum* (*notho* O C), 372 *it* (*et* O), 797 *chalibum* (*chalibis* O), VII 429 *dahas* (*deos* M?, *dacas* V G, *dachas* i. ras. U.) 755 *expuit* (*extulit* M, *expulit* V U G), VIII 449 *quis* (qui O C), 715 *cordus* (*codrus* O), IX 332 *prementem* (*frementem* O), 528 *Sic* (*Hic* O), 822 *se* (*e* M U C, *de* V), 956 *helle* (*helles* O); X 123 *fuco* (*suco* M U, *lentum* V G), 286 *Qua* (*Quae* O), 383 *populorum et* (*p. nec* M, *p. aut* G, *populo nec* V U), 404 *Cepit* (*Coepit* O).

E cum U solo rectam lectionem praebet: IV 700 *munia* (*-ia* i. ras. M V, *munera* B G), V 383 *summum — honorem* (*summo honore* V B G, *summo — honori* M), VII 16 *fugax* (*fuga* ex B, *fuga* M V G C), VIII 567 *advertere* (*adpellere* M V B, *expellere* G). —

Vel ex his, quas attuli, lectionibus apparere mihi videtur, E codicem Paulinae familiae attribuendum esse, neque alteri classi.

§ 20. Ut omnis vero dubitatio tollatur, non sat est eas lectiones, quae cum Paulina recensione congruunt, contulisse, sed Erlangensem cum iis lectionibus conferri opus est, quae ad alteram illam classem referendae sunt, id est cum lectionibus, quas V U G, V G, V U, V discedentibus ceteris codicibus praebent; eos locos omitti licebat, ubi unus ex Paulinis libris (M vel B vel C) cum codicibus, quos supra nominavi, facit, cum nunc de iis tantum lectionibus agatur, quae nullam cum Paulo rationem videntur habere.—

Comparatis igitur Erlangensis lectionibus librorum I—V cum libris alterius classis hoc inveni: E 56 cum V habet communes lectiones, quarum 10 quin optimae sint, nemini dubium esse potest (et ab Hosio in textum receptae sunt); reliquae 46 lectiones non probant cognationem Erlangensis cum fam. V, sed omnes tales sunt, ut librario vitio des. — Contra U, qui — etsi Pauli subscriptionem habet — ex lectionibus utriusque classis confusus est, in libris I—V 117 cum V communes lectiones habet, G 109. (K ceterosque contaminatae classis codices ad comparationem adhibere non poteram, cum Hosius non omnes eorum lectiones afferat.). — Libros I—V solos comparasse satis habui, postquam in reliquis similiter rem se habere cognovi. — Certum igitur exploratumque factum esse credo, E arta cognatione cum Paulina familia cohaerere.

§ 21. Proximum est, ut eruamus, quomodo E cum Pauli codicibus coniunctus sit. Neque ex M excriptus est — nam tot sunt discrepantiae, ut eas enumerare supersedeam —, neque ex B, quamvis multis locis miro modo cum hoc codice consentiat. Quae res, cum — ut mox videbimus — gravissima sit, uberius tractanda est. Afferam igitur eos locos, ubi E cum singularibus Bernensis (B) codicis lectionibus concordat: I 138, 140, 281 (cf. app.), 320 324 (cf. app.), 347 *vel dextris* adscr. m_1, 381, 433, 435, 667, 688. — II 17, 48, 55, 65, 93, 106, 126, 136, 185, 235, 257, 293, 426, 506, 521, 529, 636, 642, 645, 712 *ad litora,* 722. — III 68, 150, 177, 193, 211, 228, 291, (308), 359, 363, 427, 469, (503), 516, 586, 616, 624, 625, 636, 673, 683, (705). — IV 40, 92, 110 *pater,* post v. 177 sequitur v. *171*, 186, 242, 303, 349, 357, 372, 425, 452, 458, 484, 487, 518, (530), 568, 586, 726, 745 *proiecit,* 746, 753. — V (38), (173), 209, 210, 237, 293, 297, (349), 376, (377), 588, 665, (785), (812). — VI 55, 81, 100, 101, 118, 134, (208), 253, 294, 339, 372, 520, 532, 541, 562,

